

vinam naturam, & opus redemptionis soli Div. naturæ adscribunt. Jesuitæ verò & horum Antesignanus *Bellarminus*, dicunt Christum esse nostrum Mediatorem, secundum solam humanam naturam tantum: Sed nos dicimus Christum Mediatorem nostrum esse secundum utramque suam naturam, mediam viam tenentes, id quod probare possumus ex vocibus *filius Dei Jesu Christi*, quibus Apostolus hoc loco utitur, nam hæc nomina sunt utriusque naturæ. Sc. *Jesus Christus* & deinde expressè ponitur: *Jesus Christus filius Dei mundat nos ab omni peccato.* Quod jam Mediator sit secundum Divinam naturam probo ex vocib. *Filii Dei*, quæ Divinam Christi Naturam indigitant & Act. 20. *Deus sanguine suo sibi acquisivit Ecclesiam*, Gal. 4. *Ubi venit plenitudo temporis* & c. 1. Joh. 3. *In hoc apparuit filius Dei ut dissolvat opera Diaboli.* Hæc jam & alia dicta evincunt, Christum Mediatorem esse secundum Divinam naturam. Quod v. Mediator noster sit secundum humanam suam naturam, probo, Christus enim ipse Luc. 9. inquit: *Filius hominis venit animas non perdere; sed salvare.* Item Paulus 1. Tim. 2. *Unus est Mediator Dei & Hominum Homo Christus Jesus* Hebr. 2. *ὁ υἱος & particeps factus est Carnis & Sanguinis, ut eum, qui mortis habuit imperium, destrueret.* Hæc & alia dicta quam plurima evincunt, Christum secundum Humanam suam naturam etiam Mediatorem nostrum esse, & conseq. concludimus, quod Christus sit Mediator secundum utramque naturam: Itaque vox *sanguinis* notat Humanam Christi naturam, *Filius Dei* Divinam, *Jesus Christus* utramque, ut supra dictum est.

Verum ex hoc loco objicit nobis *Bellarminus* dictum Apostolicum *Sanguis Jesu Christi; & opus mundationis seu purgationis à peccatis soli sanguini Christi adscribit*, E. ait *Mediator noster est Christus tantum secundum humanam naturam.* Resp. *Bellarminum* hic committere fallaciam Compositionis & Divisionis, non enim simpliciter & absolute hic ponitur sanguis nos emundat; sed sanguis Jesu Christi filii Dei, ubi utraque Christi natura intelligitur.

Qv. XVI. *An dignitas meriti Christi pendeat etiam ab Humana ipsius natura?* Resp. sunt qui statuunt dignitatem meriti Christi tantum dependere à Div. naturâ; sed nos dicimus ab utraque, non Excludâ humanam naturam, quia dignitas illa dependet à dignitate totius personæ Christi, quæ duabus constat naturis, E. etiam ab humana natu-

natu-